

## §. I.

**D**ico: *hodiè*; in statu nimirum exaltationis, postquam *Deus Pater* sedere fecit, eum ad dexteram suam in caelestibus, supra omnem principatum, ac potestatem & virtutem & dominium; & omnia subjecit sub pedes illius; *Ephes. I. 20. 21. 22.* Tempore verò exinanitionis humiliaverat se, secundum humanam naturam *Philipp. II, 8.* adeò ut tunc libere à plenario regimine abstineret, factus *Minister aliorum, Matth. XX, 28.* & *circumcisionis Roman. XV, 8.* diminutus *infra Angelos Ps. VIII, 6. Hebr. II, 9.* imò *despectissimus & novissimus hominum Es. LIII, 3.* quid? *vermis Ps. XXII, 7. pauper factus 2. Cor. VIII, 9.* adeò, ut non haberet, ubi caput reclinaret, *Matth VIII, 20.*

## §. 2.